DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

COGITATA QVAEDAM

DE

MORBILLIS

ET

EPIDEMIA MORBILLOSA IENENSI

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS IVRIBVS ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

A. D. VI. OCTOBRIS CIↃIↃCCXCV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

GEORGIVS HENRICVS BEHN

LVBECENSIS

SOCIETATIS PHYSICAE IENENSIS SODALIS

IENAE

TYPIS STRANCKMANNI

INCLYTO

LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII
REIPVBLICAE LVBECENSIS

SENATVI

MAGNIFICIS GENEROSIS EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMIS

DOMINIS CONSVLIBVS

DOMINIS SYNDICIS

DOMINIS SENATORIBVS

DNO PROTONOTARIO

DNN SECRETARIIS

PATRIAE PATRIBVS

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS
BENIGNISSIMIS

HANCCE DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS

TANQVAM SVMMAE PIETATIS MONVMENTVM

OMNI QVA PAR EST REVERENTIA AC DEVOTIONE OFFERT

AVCTOR

GEORGIVS HENRICVS BEHN

PROOEMIVM

Secundum inſtituta maiorum ab illuſtri, qui Ienae floret, medicorum ordine mihi doctoris medicinae et chirurgiae gradum ambeunti ſpecimen, quomodo vitae academicae ad ſcientiam amplificandam vſus fuerim, exhibere mandatum eſt. Ego vero bene ſcio, iuuenem me eſſe et in arte mediocriter verſatum, atque nihil, niſi iuuenilia proferre me poſſe, igiturque, antequam ipſum aggrediar opus, lectorum atque iudicum aequitatem atque beneuolentiam precor, idque maiori iure, quo libentius virium profiteor imbecillitatem. Diu dubius haeſitaui, quam potiſſimum materiam mihi conſcribendam ſumerem, et viribus, et aetati accommodatam, et me fugere non potuit, me, licet non omni, tamen ea experientia carere, quae ad exhauriendum cuiusdam morbi genus perne-

ceſſaria videatur. Inter omnes vero, quas mente perpendi, nulla tam apta, nulla viribus tam accommodata, nulla denique tam vtilis atque grauis mihi viſa eſt, quam *epidemiae morbilloſae Ienae a.* 1795. *graſſantis hiſtoria.* Ipſe eam vidi et obſeruaui, ipſe eidem curandae curam dedi ſub auſpiciis Viri Illuſtr. Stark, Praeceptoris ad cineres vsque proſequendi. Scripſi, quae ipſe vidi, quorumque veritatem praeceptor ipſe teſtari mihi poteſt, ea diligentia et accuratione, qua potui. Sed nimis prolixam fore diſſertationem ratus, ſi, quemadmodum medicos practicos decet, morbillos in genere eorumque curationem copioſe deſcriberem, pauca tantum de iisdem verba feci, attamen, vt mihi quidem perſuaſum habeo, ſatis accurata. Id ſolum opto, vt hoc qualecunque tentamen virium debiliorum non diſpliceat arte peritis viris. Iam nihil mihi ſupereſt, quam vt his viris omnibusque lectoribus me measque res de meliori commendem, eorumque implorem indulgentiam.

SE-

SECTIO I.

DE MORBILLIS IN GENERE.

Theoria, quid ſint morbilli?

Morbilli, morbus recentior, peculiari exanthemate conſpicuus, contagium ſpecificum in ſe continent, quo ab omnibus aliis morbis diſcernuntur, cuius vero qualitas vsque ad hoc temporis ſpatium nondum ſatis certa et explorata eſt, nec vnquam, vt credo, arte explorabitur. Attamen experientia edocti indolem eius hanc fere ſcimus.

1) Variolarum contagio perquam ſimile videtur eſſe; Etenim

a) Non aere, ſed tantum immediato contactu aliis hominibus inſeritur.

 b) Non

b) Non percipitur, ſaltem non aſſimilatur in corpore, niſi antea propria quaedam atque ſingularis adfuerit eiusdem irritationem recipiendi facultas.

c) Hac irritatione ſolum febris procreatur, quae, quamuis omnia eiusdem ſigna prae ſe ferat, tamen ſenſu ſtrictiori nominari non poteſt catarrhalis.

d) Decurſus morbi variis ſtadiis circumſcribitur.

e) Omnes fere homines contagio hoc inficiuntur, praecipue infantes.

2) Sequentia miasmati morbilloſo propria videntur eſſe.

a) Reſpectu modi, quo operatur. Etenim irritationem mouet, inde virium vitalium reactio, inde febris, qua contagium aſſimilatur, reproducitur, et denique remouetur, attamen iſta reactio non tam viua eſt, quam in variolis. Quapropter maior externus calor neceſſarius eſt, vt e corpore demum eiiciatur.

b) Reſpectu qualitatis

α) Omnia

α) Omnia fere alia, quae noſcimus, exanthemata ſubtilitate et teneritate, vt ita loquar, ſuperat.

β) Caeteris miasmatibus paullo acrius eſſe videtur.

γ) Facillime metaſtaſi in alias partes defertur, iisque ſaepe pertinaciſſime inhaeret.

c) Reſpectu partium, quas inprimis inceſſit,

α) Pulmonibus prae aliis imminet, inde tuſſis et inde dolores pectoris, nonnunquam peripneumonia, ſaepe phthiſis pulmonalis, eaque periculosiſsima.

β) Vaſa ſeroſa exhalantia eodem inprimis afficiuntur, inde ſemper effluxus humorum ſeroſorum, quos aliquid viroſi in ſe continere nemo negabit.

γ) Oculos etiam ſemper opprimit, quod aucta eorum ſenſibilitas et dolores, durante morbo, item ophthalmiae chronicae ſaepiſſime poſt

morbum occurrentes, ſatis ſuperque teſtantur.

5) Certamen eſt inter medicos, vtrum idem homo ſemel tantum hoc morbo infici poſſit, an pluries, et vtramque ſententiam tot viri illuſtres ſtatuunt, vt nondum ſinitum certamen eſſe videatur. Attamen medici celeberrimi, quorum teſtimonio diffidere nefas eſſet, inter quos tantum Home, de Haen, Haartmann, Wendt, nomino, ſe pluries morbillos in eodem homine vidiſſe profitentur. Mihi quidem haec eiusdem morbi repetitio aeque ac in variolis non veriſimilis videtur. Etenim cum completa morbillorum diagnoſi et ſufficientibus, quibus a rubeolis certe diſtinguuntur, ſignis prorſum caruimus, medicos fortaſſe has cum iſtis confudiſſe credo. Id autem fieri poteſt, quod nonnunquam euaneſcant, et aliquot diebus aut fortaſſe etiam hebdomadibus praeterlapſis, iterum in cute appareant.

Diagnoſis morbillorum.

Iuſta huius morbi diagnoſis grauiſſima absque dubio eſt, et maxime neceſſaria, attamen,

vt

vt credo, nondum ſatis) recte coompoſita, quapropter eidem non exiguam operam dedi. Vtrum accurate morbillos deſcripſerim, medici experientiſſimi diiudicent. Decurſus eorum ſummo iure in tria diuiditur ſtadia, nimirum in ſtadium febrile, eruptionis et repletionis, exſiccationis atque deſquamationis, quorum quodlibet trium dierum ſpatium in ſe comprehendit. Incipit primum febre acuta continua, aut remittente, vel ſimplici ab irritatione miasmatis morbilloſi tantum orta, vel complicata cum inflammatione, aut putredine, aut ſordibus geſtricis, vel inteſtinalibus, aut ſtatu denique neruoſo. Iam vero tantum de morbillis ſimplicibus verba faciam, quae baſin contineant, cui quiuis medicinae non ignarus facillime ſigna addere poterit complicationum. Aegri languore, inſolita laſſitudine, moroſitate, moleſtia, quin ipſa triſtitia, grauitate totius corporis, potiſſimum capitis et pectoris, cum anxietate coniuncta, doloribus partes quaſi extendentibus, cutis formicatione, inprimis vero nimia ſenſibilitate oculorum, laborant, non commodus eſt ſomnus, licet ad eum ſaepiſſime inclinent, febris minori aut maiori frigore accedit, quod continuus ſequitur calor, pulſus celerior, plenior et durior eſt, irritationem indicans, catarrhus

tarrhus plerumqne vehemens, oculi nubili, vitrei velutique natantes, et aqua quaſi obducti rubescunt, lucem abhorrent, quaſi ab igne aduſti ardent, ab doloribus mordentibus atque corrodentibus ſerum acre plorant, palpebrae intumeſcunt, paullisper etiam partes vicinae, immo facies tota, nares turgeſcentes et rubefactae effundunt. Saepe haemorrhagia oritur, quae, niſi nimis vehemens ſit, congeſtionem verſus caput directam optime tollit, hinc ſaluberrima eſſe videtur. Praeterea fauces ſunt aſperae, dolentes, pectus coarctatum, ſpiritus calidus, nonnunquam olens, aegre ducitur, in deuorando moleſtia ſentitur, vocis adeſt raucedo, tuſsis sicca, interdum grauiſsima et cum doloribus iuncta, cuius vehementia in ratione inuerſa cum malis oculi eſt, ita, vt, quo maior sit copia seri effluentis, eo mitior tuſsis eſſe videatur, et sic vice verſa. Ciborum appetentia imminuitur, potus desiderium augetur, lingua humida eſt, pituita tenuiori albaque obducta; aluus ſaepe tarda, interdum etiam liquida eſt, immo diarrhoea vrget et vomitus ſpontaneus, abſentibus signis ſordium primarum viarum. Tertio die, nonnunquam etiam horis triginta ſex praeterlapsis, exanthema cutaneum apparet, idque primum in fronte, deinde in pectore,

ctore, collo et facie, ſaepe ſecundo aut tertio demum die in extremitatibus et reliquo corpore cernitur. Maculae paruae ſunt lenticulari circiter amplitudine, colore rubicundo, fuſco, ſaepe cuprino, forma inaequali, modo rotunda, modo ouata, modo angulari vel coniformi, in medio puſtula quaedam parua inhaeret, nunc ſingulae ſunt, nunc magna copia prorumpunt, ſenſim accreſcentes, primum interuallis cutaneis ſeparatae, deinceps plerumque confluentes, primum ſuper cutim manifeſto eminent, deinde vt paullatim dilatantur, ſimul etiam deprimuntur, nunquam ad perfectam aequalitatem cum epidermide rediguntur, ſed paullum prominent. Id quod diſtincte animaduertitur, quando eandem verſus lucem adſpicimus, aut digito attingimus, quum ſemper aliqua adſit aspredo, in reliquis vero corporis partibus non tam excelſae ſunt, quam in fronte et facie, omni epidermidi tam externae, quam internae maculae iſtae inſitae ſunt, et mala pectoris partim a morbillis faucibus, arteriae aſperae et pulmonibus ipſis inhaerentibus, partim a ſanguine contagio iſto acerrimo infecto per pulmones mananti ibique magnae mutationi ſubiecto originem trahere videntur. Quae poſterior ſententia, vt mihi quidem perſuaſum habeo, probabilior

videtur, quod, regredientibus aut retropulſis morbillis, pectoris afflictio multo maior redditur, iisdemque in fine non desquamantibus, ſed tantum euaneſcentibus, tuſſis vehementior, longa pectoris mala, nonnunquam phthiſis ipſa oriuntur. Etenim miasma in ſanguinem reſorptum ſumma ſua acrimonia pulmones tenerrimos vehementer irritat, irritatos, niſi aptis remediis aut excernatur ex corpore, aut aſſimiletur humoribus, inflammationi reddit, inflammatos denique ſuppurationi facit obnoxios.

Eruptis morbillis, febris caeteraque ſymptomata minuuntur, nec penitus ceſſant. Die ſexto, aut ſi ſtadium febrile tantum horas triginta ſex complectitur, die quarto et quinto puſtulae morbillis inſitae quaſi pellucidae apparent. Septimo die, aut ſub ſtatu ſupra dicto, quinto die desquamatio incipit, et triduo finitur, ita quidem, vt totus morbi decurſus nouem tantum dies ſub ſe comprehendat. Maculae morbilloſae ſenſim palleſcunt, paruis puſtulis desquamantur, ſquamulas furfuraceas in epidermide relinquunt, ita, vt haec fere farina furfuris conſperſa eſſe videatur. Interdum nec hoc locum habet, ſed morbilli euaneſcunt potius, quam deſquamantur. Inde

de mala metuenda ſunt periculoſiſsima, rariſsime, idque tantum in epidemiis benigrioribus, vbi venenum minus acre animaduertitur, nullum.

Cogitata quaedam curationem ſpectantia.

Diagnoſi morbillorum finita, non multa de prognoſi loquar, quoniam quilibet ſibi eam facillime formare poteſt, quippe quae a febris complicatione, ab aetate aegroti et habitu corporis, praeſertim a tempeſtate, a ſtatu pulmonum, a tuſsi poſt morbum remanente et a regreſſu exanthematis praecipue pendet. Sed ad ipſam me ſtatim conuerto curationem. Vna tantum indicatio adeſt, ſcilicet, vt *omnia adhibeantur, quae e corpore morbillorum contagium remoueant.* At non omnia expediam curationem ſpectantia, ſed paucas tantum res adiiciam, ad quas ſecundum meam opinionem nondum ſatis attenti medici ſuere. Indicatio ante dicta in plures alias diuidi poteſt.

1) Euitentur omnia irritamenta maiora, tam interna, quam externa. Illa enim morbillos eliciunt, haec repellunt.
2) Semper reſpiciatur ad ſtadia morbi.
3) Item ad ſtatum pulmonum, nec non
4) Ad complicationem.

5) Dentur in fine morbi remedia exerectionem lenem mouentia.

Indicatio I. Ad eandem praecipue gradus caloris in morbillis adhibendus pertinet, qua in re plurimi medici peccare, caeterum experientiſsimi, videntur. Frigus in hoc morbo maxime noxium et pernicioſum eſſe, multis exemplis iisdemque triſtiſsimis probari poteſt. Etenim nimis irritat, irritatione ſpasmos cutaneos mouet, ſpasmis exanthema volatile ſummeque mobile repellit. Quamobrem viri haud pauci calorem maximum, et ſaepe intolerabilem, tanquam remedium ſaluberrimum, paullo impenſius laudant, ſed ipſi eandem ob cauſam, qua algorem vituperant, vehementer errant. Satis enim notum eſt, nimium calorem eosdem, quos frigus nimium, effectus in corpus habere, quippe vehementer irritat, ita, vt denique inflammationem et ſphacelum adeo procreare poſſit. Quid vero ineptius et abſurdius excogitari poteſt, quam anxie alterum irritamentum euitare, et late portas alteri aperire. De his viris valet, quod in prouerbio eſt, incidit in ſcyllam, qui vult vitare charybdim. Taceo de caeteris nimii caloris incommodis, de aere inde corrupto, de praegrauata inde reſpiratione, de aucto ſanguinis or-

orgasmo, de febre aucta et putredine. Quinam vero caloris gradus homini morbillis laboranti aptus eſt? Debet pro varia aegroti natura varius eſſe, et ita accommodari, vt ſemper gratum teporem ſentiat, neque ardeat vnquam, nec algeat. Tranſpirationem leniter promouere volumus, non ſudorem. Quodſi aegrotus vel aetäte adhuc infantili, vel febre vrgente, vel aliis affectibus impediatur, quin recte de calore iudicari poſſit, tunc medicus ipſe ex ſuo ſenſu iudicet, ita, vt aegroto gracili aerem paullo maiorem, eidem vero robuſto et frigori fortaſſis aſſuefacto paullo minorem reddat. Quam regulam ſi curate ſequimur, ne vllum inde incommodum capiat aegrotus, cauemus.

Videmus porro, vt ſupra iam dixi, pectoris affectus minui, quando affectus oculi augentur, inde legem hanc animo informavi, vt medicus ab omnibus abſtineat externe applicandis adſtringentibus, cuius grauitatem in femina quadam aegrota perſpicue vidi, quae, ſignis caeterum optimis, contra omnem ſpem meam de doloribus pectoris, tuſſi vehementi et ſumma raucedine querebatur. Quaeſtionibus vltro citroque habitis, quae huius phaenomeni cauſſa eſſet, diu haeſitaui. Tandem

vero oculos minorem humorem copiam effundere animaduerti, et vtrum fortaſſe externe quaedam iisdem applicata eſſent, interrogaui. Applicaui, reſpondet mater, aquam frigidam, cuius vtilitate maxime gauiſa ſum. Ego vero cum ipſa conſentire nequiui, ſtatim aquae vſum prohibui, caeterum continuatis remediis ante datis. Iam ſubito tuſſi minuta, raucedine et doloribus remotis, melius ſe habuit aegrota. Quapropter regulam ante allatam rationi et experientiae reſpondentem maxime vrgeo. Inter omnia irritamenta interna nullum ſaepius occurrit, quam contenta primarum viarum vitioſa, quae ſub ſtadio febrili tollere neceſſe eſt.

Indicatio II. Tempore eruptionis et desquamationis paullum maior calor neceſſarius eſſe videtur, nunquam vero aeſtus. Cauere ſimul debemus, ne, inprimis durante eruptione, niſi, iisdem neglectis, atrox periculum inſtet, emeticum aut purgans vehementius adhibeamus, quippe eruptionem morbillorum impediunt, eruptorumque afferunt regreſſum. Potus crebriores et modicus antimonialium vſus hoc ſtadio ſummam vtilitatem prae ſe ferunt.

In-

Indicatio III. A ſtatu pulmonum in morbillis ſimplicibus omne fere periculum pendet, quibus bene ſe habentibus, nullus amplius triſtior exitus eſſe poteſt. Quapropter quam diligentiſſime ad eosdem animum intendere debemus, et omnia ſimul adhibere, quae noxios eorum affectus vnquam minuere poſſint. Id quod efficimus,

1) Si fluxum oculorum nariumque nullo modo retardamus, quo certe contagii aliquid eiiciatur, quum non modo acrimoniam in ſe contineat, et, eo turbato, pectoris ſymptomata accreſcant, ſed quum adeo inoculatio nonnunquam ope lacrymarum facta ſit.

2) Si remedia praeſcribimus tuſſim imminuentia leniterque expectorantia.

3) Si quando vnquam peripneumoniae ſigna adſunt, aut anxietates pectoris augentur, antiphlogiſtica damus efficaciſſima.

Indicatio IV. De hac nihil mihi addendum eſt, niſi vt ſecundum naturam ſuam quaeuis tractetur complicatio, ſiue ſit biliosa, ſiue putrida, ſiue neruoſa etc.

Indicatio V. Quoniam morbilli ſaepe, morbo finito, potius, quam, eodem durante, pe-

periculum afferunt, miasmate non penitus e corpore expulſo, maxime mihi neceſſarium videtur, vt, facta desquamatione, medicamentum excretionem aliquam, inprimis ſudorem aut vrinam promouens, adhibeatur. Quo neglecto, haud raro, vt multorum annorum experientia docuit, mala longa et vehementiſſima ſequebantur. Diuretica et diaphoretica ſemper, niſi ſimul adſint ſordium ſigna, emeticis et purgantibus anteferenda ſunt, quia miasma morbilloſum non primas vias occupat, verum ſecundas.

Non alienum a ſcopo et propoſito eſſe arbitror, vt paucis de *praeparatione* ad minuendos morbillos loquar. Multi viri de genere humano optime meriti, e. g. SCVDERI, SALZMANN, LENZ, inprimis vero FAVST, vir humanitate inſignis, optarunt, vt variolae, lues peregrina, tanquam peſtis, remoueantur, et iſtud optatum conſiliis confirmare ſtuduerunt, quae tamen vsque ad hoc tempus pia, proh dolor! vota fuere, et diu fortaſſe erunt. Eodem, quo variolae, modo etiam morbilli, quoniam non, niſi immediato contactu in homines vulgantur, funditus tolli poſſent. Optima certe praeparatio eſſet atque praecautio. Quod quum, licet diu expectatum et exoptatum,

ta-

tamen nondum perfectum ſit, iam ad alia ſubſidia fugere fas eſt. Inter quae praecipue *inoculatio* attentione dignisſima eſſe videtur, quam variolarum inſitioni ſimilem, et eadem non minus vtilem eſſe, multi, inprimis Angli, e. g. Home, Cook, Percival, Bvchan, inter Germanos Vogel, inter Suecos Rosenstein, credidere. Inſtituta eſt inoculatio non ſine ſucceſſu feliciori, attamen non diu floruit, et iam penitus fere obſoleuit. Cauſam huius mutationis in eo conſiſtere perſuaſum mihi habeo, quod morbus ipſe perraro vehemens sit, et totum fere periculum a medici curatione et ab aegroti vitae ratione pendeat. Maximum inſitionis emolumentum certe eſt, quod tempus curandi medici arbitrio permiſſum sit, atque curatio quaedam prophylactica inſtitui posſit. Primum in morbillis naturalibus tantum a caſu fortuito pendet, altera vero, quam maximi momenti eſſe absque dubio quiuis fatebitur, tamen inſtitui poteſt. Oculos enim, pulmones, cutem, prae aliis contagio iſto affici ſcimus, igiturque has partes grauisſimas simul, quando epidemia appropinquat, firmare debemus, cutem balneis totius corporis, oculos balneis ex aqua frigida topicis, pulmones omnibus, quibus roborari poſſunt; remediis iuuandi ſunt. Si cutis robore gaudet, repul-

sus exanthematis, caussa maximorum malorum, non est metuendus. Si pulmones nullo vitio laborant, phthisi, tristissimis saepe morbi reliquiis, optime prouidetur, si oculi bene se habent, morbillorum contagium eiicient.

Antequam vero huius materiae finem constituam, pauca verba faciam *de diaeta.* Eadem fere esse debet, ac in inflammatione, quae suppuratione terminatur. Secundum hanc regulam primum antiphlogistica, deinde paullo vberior est. Attamen eoquam maxime videndum est, vt aegrotus, nisi summa debilitate vexetur, diu et post morbum adeo a carne abstineat. Potus autem frequenttssimus, praecipue autem leniter aperiens, non nimis aegroto commendari potest.

SE-

SECTIO II.

OBSERVATIONES CIRCA EPIDEMIAM MORBILLOSAM IENENSEM.

Iam inde ab aeſtate anni cIcIↄccxciv. varia exanthemata apparuere, infantibus praecipue infenſa, e. g. purpura, variolae ſpuriae, denique verae, quae inprimis inde a menſe Nouembri et Decembri viſaè ſunt; attamen ſporadicae potius, quam multórum hominum communes. Afficiebantur iisdem non ſolum pueri, ſed adoleſcentes etiam, nulli vero vitae periculum inferebant; at, licet copia ſaepe innumera corpus tegerent, et haud raro confluerent, tamen neque atrocia ſymptomata conciliabant, neque adeo in fine magnas cicatrices poſt ſe relinquebant. Menſe vero Februario huius anni aliud quoddam exanthema Ienam peruagabatur, variolis vehementius atque periculoſius, *morbilli* ſcilicet, quae diu hanc vrbem praetervolare viſae, iam vero totam fere Germaniam percurrentes, huc etiam intrantes, nulli aetati pepercere. Subiti atque inexpectati obſeruabantur, nulla in regionibus propinquis vsque ad id tempus vigente epidemia morbilloſa, et cauſſa ipſa penitus ignota. Primos praeſertim in adoleſcen-

tes impetus fecerunt, nullus vero, vnde originem morbi traxiſſet, ſciebat. Attamen attentione haud indignum mihi hoc videtur, vnum eorum paullo ante morbum litteras accepiſſe ex vrbe, quae morbillorum epidemiam tunc in ſe coutinebat, quae vero quinquaginta circiter milliaria Iena diſtat. Vtrum inde orti ſint, viri experientiores diiudicent. Fortaſſe etiam conſtitutio quaedam atmoſphaerica viam patefecit exanthemati, quamuis eiusdem qualitatem ignoremus. Etenim non ſolum Ienae, verum in multis locis propinquis fere ſimul oriebatur, et idem etiam in Helvetia, Franconia, Saxonia ſuperiore et inferiore extitiſſe, litterae tam publicae, quam priuatae nunciauere. Erat epidemia vniuerſalis, vehemens et ſequelarum cauſſa crudelis, multis etiam paullo crudelior, quoniam aegroti ſaepe opem medici negligebant. Sed vlta eſt medicina de contemtoribus, quum fere omnes, qui naturae ſoli confidebant, multis malis, iisque ſaepe atrociſſimis, poſtea premerentur preſſique angerentur. Memoria ſimul dignum eſt, quod omnes fere aegroti, qui medici auxilium iuſto tempore implorabant, bene ſe habuerint, et commode ſanati ſint, ita, vt in inſtituto clinico ſub auſpiciis fautoris et praeceptoris dilectiſſimi, Stark,

ſlo-

florente ne vnus quidem morbillis laborans mortuus ſit. Vehementiorem hanç epidemiam reddidit absque dubio tempeſtas inconſtans, quae catarrhalem ſemper diſpoſitionem prae ſe ferebat. Differebat tamen ab ſimilibus epidemiis, quod ferme omnes homines vsque ad hoc tempus eadem immunes inceſſerint, infantes, iuuenes, ſenes, lactentes ſolos praeterierit, quod eruptio plerumque tarda fuerit, praecipue in extremitatibus, quod deſquamatione ſaepe penitus caruerit, mox ſummo damno aegroti, mox inprimis, quando diuretica et diaphoretica rite adhibebantur, absque omni moleſtia, quod diarrhoea plurimum aegrotos vexauerit, quae tamen fere ſemper ſalutaris fuit, quod cum aliis ſaepenumero ſe coniunxerit exanthematibus, praeſertim cum purpura, cum variolis adeo et petechiis; quod denique in ſingulis quibusdam omnes morbillorum prodromi, morbilli nulli animaduerſi sint.

Decurſus morbillorum ita ſeſe habebat. Symptomata praecedentia eadem erant, ac vulgo ſolent eſſe, praecipue vero cum moroſitate ac maiori pectoris anxietate coniuncta. Die tertio, interdum quarto et quinto, tandem morbilli apparuere, faciem et pectus obtegen-

tes, mox singuli, mox confluentes, plerumque frequentifsimi. In extremitatibus autem nondum videbatur exanthema. Erumpebat ibi die fexto aut feptimo morbi. Eruptio nullum fere adferebat leuamen, tufsis erat sicca, oculorum fluxus acer et dolores nimia luce praefertim aegrum cruciabant. Lingua erat vt plurimum fqualida et flaua, caeterum abfentibus fordium signis. Die fecundo aut tertio poft eruptionem in omnibus fere, quos vidi, aegrotis diarrhoea orta eft, quae fymptomata minuebat, et, si nimia reddebatur, ita, vt vires aegroti aperte debilitarentur, ope tincturae rhabarbari tam aquofa, quam vinofae, falis ammoniaci aut vini antimonii Hvxhami facillime poterat sifti. Diarrhoeae locum faepe etiam cholera obtinebat, eodem modo coercenda. Quae duo fymptomata ab morbillofa materia ad tractum inteftinalem delata originem traxisse arbitror, quoniam me vnquam manifefta fordium signa vidisse non recordor, et quoniam plerumque cessabat, quum tranfpirationem aut vrinam medicus paullulum augeret; femper autem noxia erat eorundem remotio vi aliorum remediorum siftentium. Defquamatio in plurimis difficilis et parua, in multis nulla fuit; inde plerum-

que

que tuſſis accreſcens, pectoris dolores aucti, ſumma raucedo viſa eſt. Neglectu morbi et medicamentorum plurimis ophthalmiam pertinaciſſimam, multis febrem hecticam cum tuſſi vehementi, paucis furunculos aliaque eiusmodi mala, nonnullis febrem ſoporoſam, plerumque lethalem, attulit.

Complicationes praecipue erant

1) Dentitio difficilis, cuius tamen ſymptomata absque maiori moleſtia remediis tollebantur ſedantibus.

2) Vermes, morbus Ienae endemicus, propter vitae rationem. Saepe morbi decurſum nullo modo turbabant, et ſponte nonnunquam e corpore exibant; attamen ſaepe etiam eundem maxime mutabant, et grauiſſima ſymptomata mouebant, praecipue vehementem narium haemorrhagiam et iſchuriam doloroſam. Bis iisdem magnos ſiniſtrae pectoris partis dolores non, niſi vermibus expulſis tollendos, concitatos eſſe vidi *). Remediis an-

*) Liceat mihi, pauca hic addere *de dolore in pectoris latere ſiniſtro*, tanquam *vermium ſigno.* Primum

anthelminticis plerumque, leuiter removebantur.

3) Cho-

mum hoc praecipue animaduerti in milite phthiſi pulmonum vlceroſa laborante, qui ab initio aetatis vermibus tam lumbricis, quam aſcaridibus vexabatur. Poſtea ſemper eosdem in ſe continebat, nonnunquam etiam aluo eiiciebat absque magnis incommodis, excepta diuturna, pertinaciſſima et ſaepiſſime repetente ophthalmia. Anno aetatis vigeſimo ſecundo haemoptyſi et porro pedetentim phthiſi afficiebatur. Fuit in eo innumera vermium, praecipue aſcaridum, copia, qui ſemper ſe regenerarunt, quamuis quotidie plurimi aptis remediis depellerentur. In hoc homine omnia ſymptomata vehementiora in ſiniſtro corporis, praecipue pectoris, latere erant, ſaepe haemicrania, intolerabilibus ſiniſtrae pectoris partis doloribus et colliquatiuo in eodem ſudore partiali cruciabatur. Poſt eius obitum, ſiniſtrum pulmonem penitus fere corroſum eſſe, ſectio oſtendit.

Alterum exemplum vidi in viro quinquaginta circiter annos nato, multis malis a prima inde aetate vexato. Idem hyeme praeterita tuſſi vehementi, doloribus pectoris, aſthmate, haemoptyſi denique laborabat. Nullam huius morbi cauſſam inuenire potui; attamen pauca vermium ſigna, habitus aegroti externus, lubricus quidam mucus multo ante vomitu euacuatus, inprimis vero dolo-

res

3) Cholera et diarrhoea. Prima plerumque, altera imminente, terminabatur, quam, vt iam ſupra dixi, ſalubrem fuiſſe negari nequit.

4) Alui deiectio ſanguinea et dyſenteria rarior complicatio, tamen non, vt alios ſolet, periculoſa aut lethalis.

5) Pe-

res in ſiniſtro pectoris latere me in eam opinionem induxere, vtrum fortaſſe vermes haemoptyſin excitauerint. Dedi anthelmintica, iuncta cum remediis ſopientibus. Tertio die et ſequentibus horrendus aſcaridum numerus e corpore deceſſit, ſymptomatibus minutis. quae duodecimo tandem die penitus conquieuerunt. Ipſe tunc morbillis infectus curam huius hominis amico demandaui, qui eum, quem ſanatum credebat, reliquit. Paucis hebdomadibus poſt priſtina mala regrediebantur, iterum eiusdem curam habui, et, quoniam vermes adhuc in corpore latere facillime colligere potui, iisdem remediis anthelminticis eum ſanavi, quorum vſu continuato tam bene ſe habuit, vt iam optima fruatur valetudine. Plura, niſi a materia nimis aliena eſſent, adiicere poſſem exempla huc ſpectantia, e quibus omnibus, dolores ſiniſtrae pectoris partis vermium ſignum eſſe, mihi perſuaſum habeo. Plurium medicorum experientia hanc regulam ſemioticam, vt ſpero, firmabit, et erit eadem fortaſſe in curatione morborum pectoris aliquando vtiliſſima.

5) Peripneumonia aut ſuffocatio mortifera, inprimis in ſtadio deſquamationis, quarum cauſſa vel refrigeratio, vel ſordes primarum viarum, vel incauta diarrhoeae ſalutaris ſuppreſſio fuerunt. Remoueri ſolum poterant, cauſſa remota, et methodo ſtricte antiphlogiſtica adhibita.

6) Putredo, complicatio periculoſiſſima, at ob tempeſtatem frigidam cariſſima, et ipſa potius tempeſtate, quam medici ope, curata.

Duabus tandem hebdomadibus morbilli aliquid putridi in ſe recepere, poſtea nihil amplius.

7) Purpura, variolae, petechiae. Prima nunquam periculum prae ſe ferebat, alterae periculoſiores erant, vltimae, vt ipſa putredo, mox euaneſcebant. Morbillorum curatio in genere neque difficilis erat, neque admodum complicata. Quando nullus alius morbus cum iisdem ſe coniunxit, eo tantum videndum erat, ne aegrotus ipſe ſocordia et incuria ſibi noceret. Diaeta morbi indoli congrua, ſumma cuiuslibet frigeſactionis avertendae praecautio frequens decocti flor. ſambu-

ci et ſpecierum pectoralium potus, linctus e ſyrupo mannato, althaeae, ſulphure aurato antimonii, extracto hyoſcyami, et, eruptione paullum difficiliori, quibusdam camphorae granis aegrum bene ſanarunt. Si complicationes aderant, easdem ſecundum cauſſas varias varie remouere medicus debuit, et, ſi rite curationem adhibebat, effectus ſpem ſuam non fefellit. Morbo caeterum finito, tuſſin vehementem et raucedinem, aphoniae ſaepe ſimilem, remanſiſſe, pluries vidi, ſemper iisdem medebar ope pulueris ſequentis:

℞. Cremor. tartar. ℥ij.
Sal. ammon. pur. ℈ij.
Sulphur. aurat. antimon. gr. vj.
Sacchar. alb. ℥iij.

M. F. pulv. D. S. Nach dem Alter des Kranken alle 2 — 3 — 4 Stunden 1 — 2 Theelöffel voll zu nehmen.

Quum maxime incidens et tranſpirationem leuiter mouens puluis iſte ſit, vtiliſſimus mihi ſemper viſus eſt, et vere in quolibet aegroto haec mala citiſſime depulit.

Iam

Iam decurſu morbillorum concinne deſcripto, paucas tantum adiiciam *circa hanc epidemiam animaduerſiones*, quas attentione non omnino indignas eſſe arbitror.

1) Ex iis, quae antea dixi, ſatis patet, epidemiam benignam potius, quam malignam fuiſſe, quum omnes fere aegroti, auxilium medici implorantes, et vitam, et ſanitatem recuperavere, et tantum artis medicae contemtores ſummas incuriae ſuae poenas dedere, ita, vt e 200 aegris vix quatuor vitam cum morte commutauerint, et tamen non tam morbi vehementia, quam viuendi ratione, et diaetae vitiis aut neglectione remediorum necati. Praecipue damnoſum erat nimium frigus, exanthematis regreſsum plerumque poſt ſe trahens, quod fortunate plurimum primas vias occupauit, ibique choleram, diarrhoeam vel dyſenteriam conflauit, quibus materia morboſa e corpore eiiciebatur. Quare, his fluxibus ſubito ceſſantibus, nonnunquam vitae periculum grauiſſimum inſtabat. Praecipue animaduerſi ſunt eidem menſibus Martii et Aprili, in quibus dies quosdam aeſtuoſiſſimos repente frigidiſſimi et nocturnum gelu ſequebantur. Valetudinarii temperiem ad aeris frigus aut calorem accomodare prudentia

me-

medica suasit, ita, vt sub maiori frigore externo magis tepefiat hypocaustum, sub calore externo minus. Neglectam hanc regulam perniciosam fuisse, sequelae morbi atrocissimae, immo mors nonnunquam testabantur. Inde factum est,

2) Vt multa mala apparuerint, quae sub regimine paullo tepidiori certe non locum habuissent, nimirum

a) Eruptio difficilis. Febris cum omnibus eiusdem signis pathognomicis apparuit, nullis morbillis erumpentibus, quorum locum per plures dies summa anxietas, grauis pectoris angustia, spiritus difficultas, cephalaea grauis velutique obtusa, qualem in grauedine sentimus, molestia, morositas, item febris aucta tenuere. In nonnullis hominibus morbilli octauo aut duodecimo tandem die primum rite egressi, modo aparuere, modo euanuere, cutis rubore marmoreo liuente potius, quam pustulis fuit ornata.

b) *Cholera*, *diarrhoea*, *dysenteria*, de quibus iam supra verba feci.

c) *Tuſſis vehemens*, quae ſaepe intolerabili modo aegrotos excruciabat, ita, vt ne nocte qnidem ſomno frui poſſent. Omnibus interdum remediis, caeterum efficaciſſimis, pertinaciſſima tuſſis reſiſtebat, nec tolli poterat, niſi exanthema in cute antea reſtitutum eſſet. Attamen Ienae non adeo, vt in aliis locis propinquis, praecipue Eiſenbergae, municipio in ducatu Altenburgenſi ſito, ſaeuiit.

d) Tuſſis conuulſiua etiam furebat, quae immani crudelitate plurimos infantes morte affecit acerbiſſima.

e) Magnum periculum in ſtadio deſquamationis ſubitum et nimium frigus attulit, quippe quod, morbillis retropulſis, nondum deſquamatis, interdum *peripneumoniam periculoſiſſimam*, immo ſuffocationem mortiferam procreauit. Plerumque deſquamatio, difficilis aut omnino abſens, criſin imperfectam fuiſſe oſtendit, et metum mouit morborum ſecundariorum.

f) In quibusdam aegrotis cerebrum et neruos praecipue afficiebat morborum contagium, frigore in corpore ipſo retentum,

tum, aut retropulſum. Inde paralyſes temporaneae, torpor, aphonia, ſtupor, denique ſopor. Horum aegrorum reſtituebantur pauci, caeteri triſmo aut convulſionibus moriebantur.

g) *Tuſſis chronica et febris hectica.*

3) Memoriae prodendum id mihi etiam videtur, plures adultos ſexus tam ſequioris, quam potioris, immo ſenes ipſos infeſtatos hac lue fuiſse, quam in alia vnquam epidemia animaduerſum eſset. Lactentes huius contagii in ſe percipiendi facultate carere videbantur, quippe, quae partim eidem diutius reſiſterent, partim penitus effugerent. Grauidis vero atque puerperis non minus periculoſum, quam alias, fuit.

4) Praecipue vero variolas cum morbillis nonnunquam ſe complicare et ſimul exanthematis forma ex eodem corpore eiici, haec epidemia tribus nobis oſtendit exemplis. In vno homine morbilli ſub ſtadio repletionis, in duobus ſub ſtadio deſquamationis variolarum apparuere, et ſuis quodlibet exanthema ſtadiis decurrere viſum eſt.

5) Non, vt in aliis epidemiis fieri ſolet, pulmones, ſed oculi plurimum afficiebantur, cura caeterum optime inſtituta. Semper autem, quando haec aut neglecta fuit, aut male adhibita, acerba oculorum mala ſequebantur, phobotomia, ophthalmia, chemoſis vehementiſſima, non, niſi remediis efficaciſſimis et paullo diutius ſumtis coercendae.

6) Complicationes, alias atrocia ſymptomata concitantes, in hac epidemia ſaepe nullo modo periculoſa erant, cuius pauca tantum exempla addere liceat. Infanti vnius circiter anni, morbillis ad cutim delatis, tres dentes proruperunt, quatuor lumbrici aluo eiecti ſunt, et nihilominus tam bene ſe habuit, vt ne aegreſcere quidem videretur. Alius infans, annum vnum et dimidium natus, morbillis et dyſenteria ſimul laborabat, hinc primi anomali redditi, ita, vt, aucta dyſenteria, omnino euaneſcerent, minuta ea, regrederentur. Morbo per quindecim dierum ſpatium continuato, infans morti eripiebatur.

Puer, aetatis annum tertium nondum egreſſus, primum dyſenteria, deinde morbillis, et, his deſquamatis, variolis laborauit, at-

attamen ab hifce morbis grauiffimis et periculofiffimis nullum cepit detrimentum.

Infans, cui nutrix fyphilitica mammas praebuerat, lue venerea infectus, puftulas eiusmodi et cancros multos habuit. Morbillis eruptis, ftatus venereus minuebatur, defquamatis iisdem, priftina vehementia revertebatur. Maxime oculi afficiebantur, et diu infans a luce abhorrebat, tandem vero mercurii phosphorati ope fanabatur.

7) Morbi fecundarii praecipue febres hecticae et morbi oculorum erant, plerumque ab aegrotorum focordia et diaetae vitiis orti, contra quos praecipue extractum cicutae, tanquam remedium maxime refoluens, leniter diaphoreticum et diureticum efficax, fe praebuit.

8) Memoratu denique dignum eft, quod nulla vnquam epidemia morbillofa in his regionibus tam diu, quam hoc anno, permanferit. Stetit inde ab initio menfis Februarii vsque ad finem menfis Augufti eadem femper vehementia. Menfe folum Iulio, qui frigida atque

atque ſicca tempeſtate conſpicuus erat, paullum imminuta eſt. Denique menſe Auguſto variolis ingruentibus ceſſit atque locum dedit, hae vero ſporadicae tantum obſeruabantur, et menſe Septembri et Octobri praecipuam conſtitnebant epidemiam. Hactenus ea, quae mihi dicenda et ſcribenda cenſui.

5(9)